

fuscitabit Zelum, *Vrlioger erchubet ernest*. Sceptrum, *Chunicger ten*. Festus, *Tultich*. Numquid, *Wergot*. Formosus, *Wolgetan*. In furore, *in Unsite*. In conspectu, *an Beschowede*. Holocaufta, *Oblei*. Adjicies, *Erbaldest*. &c.

In fronte Codicis seu Psalterii a manu *συχχγοω* legitur: *Margret pötschin andrein*. Fundavit *Eberhardus II*. Archiep. *Salisburgensis* a. 1212. in *Carinthiae Valle Lavantina* Collegium Canoniorum Regular. ad *S. Andream*. Utrum etiam pro altero Sexu, non quidem reperio, suspicor tamen, cum exempla non desint. Significaret itaque τὸ *Andrein* Virginem canonicam *Andreanam*, quod nec a more loquendi Germanorum abaudit, et credibile fit ab ipsa Codicis ratione. Quid enim sacris Virginibus ex instituto latine psallentibus optabilius sit, quam ut eorum, quae cantare tenentur, sensum et vim lingua patria adsequantur?

LIX.

R. 2184 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 174. 4. luculente scriptus, rubricis et quibusdam literis initiorum deauratis et picturatis illustratus est *Psalterium Davidicum* adjunctis Canticis Biblicis, Hymno *Ambrosiano*, Oratione Dom. Fide Apostolica et *Athanasiana*, et Litaniis OO. SS. Praeit *Calendarium* cum signis Zodiaci pulcre picturatum, in quo *Benedictus* et *Bernhardus* miniati, et posterior quidem Sanctorum recen-

tissimus, unde colligo Codicem fuisse *Cisterciensium*, et quidem ex inserta Scheda feminei Sexus, atque adeo Parthenonis *Aulae Regiae*, qui *Brunnae Moravorum* fuit. Psalterii initium, ut et *Januarius* cum *Februario*, deperiit. Eadem jaçtura aliquot insuper locis per decursum *Psalterii* observatur. Singulorum Psalmorum initiis ad marginem manu *συχχγοω* addita est quaedam ad B. V. *Mariam* adspiratio. Ita v. g. ad Pf. LIV. *Ave uirgo simplex ut columba, quæ de mortis huius tumba sumptis pennis auolasti ad quietem, quam amasti*. In Litaniis inter Martyres invocatur S. *Mamas*, cujus ratio me latet, cum alia SS. Nomina dubitare non finant, Codicem in *Germania* scriptum fuisse. Pag. ult. de *Cursu sancte Marie* non nisi initium superest.

LX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2051 XIV. Folior. 116. 4. caractere crasso, luculento exaratus, et minio illustratus, aevo tamen et usu fatis adtritum *Psalterium Davidis* est adjunctis Canticis Biblicis, SS. Litaniis et Mortuorum Vigiliis, Praeit *Calendarium Januario* truncatum, in quo *Uodalricus* et *Afra* rubricati, unde Dioecesin *Augustanam* arguo. Habet *Obitus* sat frequenter adnotatos *Monachorum*, *Sacerdotum*, *Militum*, *Laiorum*, *Monacharum*, *Laicarum* partim jam extritos, quorum notari fortasse meretur 11. *Decembr. Dominus tuopoldus de aychbach sacer-*